



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 10. Quo modo iustum iudicium iudicandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



fieret vbiq; Alexandria, eum reuera esse,  
quod in altero temerè iudicauerat.

§. X.

*Quo modo iustum iudicium iudicandum?*

Hæc de iudicio temerario dicta, non tol-  
lunt omne iudiciū. Vnde S. Ambrosius adie-  
cit: *Iudicet ille, qui ad pronuntiandū nullo odio,  
nulla offensione, nulla leuitate ducatur.* Et S.  
Basilius ait: cū Dominus aliàs dicat: *No-*  
*lite iudicare, & non iudicabimini: aliàs verò*  
*Iustum iudicium iudicandum esse præcipiat, ne-*  
*quaquam in vniuersum interdicitur nobis, quò*  
*minus iudicemus, sed in iudicio faciendo, jube-*  
*mur delectum habere, quem dilucidè monstra-*  
*uit nobis Apostolus, qui de his quidem, qua posita*  
*sunt in libera cuiusq; potestate, dixerit: Tu autē,*  
*quid iudicas fratrem tuum? Et iterum: Non*  
*ergo amplius inuicem iudicemus. In his verò,*  
*qua displicent Deo, eos reprehendat, qui non ju-*  
*dicant. Itaque, teste S. Augustino. Duo sunt,*  
*in quibus temerarium iudicium cauere debeat-*  
*mus: cū incertum est, quo animo quidque fa-*  
*ctum fuerit: vel cū incertum sit, qualis futu-*  
*rus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet.*  
*Si ergo quispiam, v g. conquestus de stomacho je-*  
*iunare noluit, & tu id non credens, edacitatis*  
*vitio tribueris, temerè iudicabis. Item si ma-*  
*nifestam*

S. Basil. in  
regulis  
breuior.

q. 164.

Matth. 7.

Ioan. 7.

24.

Rom. 14.

10.

S. Augu-

stin. lib. 2.

de Ierm.

Domini

in monte

c. 28.



*nifestam edacitatem ebriositatemque cognoueris,  
 & ita reprehenderis, quasi numquam illa possit  
 corrigi atq; mutari, nihilominus temere judi-  
 cabis. Non ergo reprehendamus ea, qua nesci-  
 mus, quo animo fiant; neq; ita reprehendamus,  
 qua manifesta sunt, ut desperemus sanitatem.  
 Euitabimus iudicium, de quo nunc dicitur:  
 Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis.*

## CAPVT VII.

*Oris, & Maledicentia talio.*

### § I.

*Conuitiantes conuitia passi, quibus rebus  
 similes?*

**H**esychius testatur, vulgari olim  
 sermone fuisse iactatum, quod, qui  
 inspuerit in agmen formicarum,  
 si labra intumescerent. Hoc, seu verè fit,  
 vt ex halitus repercussu virus aliquod affi-  
 ciat conspuentis os, seu temerè credatur;  
 torqueri solet in eos, qui multitudinem im-  
 becillum quidem, sed tamen numerosam,  
 & concordem prouocant. Ego existimo,  
 id quadrare in omnes, qui alios verbis læ-  
 dunt, ac velut despuunt, seu consilijs malis,  
 seu sarcasms amaris, seu conuitijs & sibi-  
 lis,